C EX GALENO.

Thlaspi semen facultate acre est, adeò ut internos abscessus potū rumpat. Menses mouet, & fœtus necat. Per sedem infusum sanguinolenta euacuans ischiadibus prodest. Est enim alioqui tum inferne, tum superne biliosorum humorum euacuatorium, acetabuli mensura potum.

EX PLINIO.

Semen asperi gustus, bilem & pituitam utrinq; extrahit. Modus sumendi acetabuli mensura. Prodest & ischiadicis infusum, donec sanguinem extrahat. Menses quoq; cit, sed partus necat.

DE THERMIS▸ CAP▸ CXV▸

NOMINA.

THERMOS θέρμος Græcis, Lupinus satiuus Latinis: officinæ latinum nomen retinuerunt: Germanis Feigbon appellatur.

FORMA.

Vnicum caulem obtinet Lupinus, folium quinquefariam aut septifariam dissectum, florem candidum, siliquas in quibus quina senáue intus grana, dura, lata, rufaq; continentur. Radicem luteam capillamentis fibratam.

LOCVS.

Exilem amat terram, arenosam & rubricam præcipue. Limoso agro non exit, culturamq; reformidat.

TEMPVS.

D Ter floret, primum Maio, deinde Iunio, & tertio Iulio mense. Post unumquemque florem siliquas producit.

TEMPERAMENTVM.

Immensa amaritudo euidenter calidum & siccum esse monstrat.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Farina eius cum melle lincta lumbricos pellit. Ipsi quoq; macerati, & amari adhuc comesti idem efficiunt. Decoctum eorundem cum Ruta & Pipere potū idem facit: unde & lienosis prodest. Eodem gangrænas, ulcera tetra, incipientē scabiem, alphos, maculas, exanthemata, & achoras perfundere utile. Menses & fœtus idem decoctum cum myrrha & melle subditum trahit. Farina eorum cutem liuoremq; expurgat. Inflāmationes cum polenta & aqua mitigat. Ischiades & tubercula cum aceto lenit. In aceto cocta & illita strumas dissipat, & carbunculos rumpit. Decocti pluuiali aqua donec in succū liquescant faciem abstergunt. Cum radice nigri Chamæleonis ouium scabiei medentur, si tepido decocto abluantur. Radix cum aqua cocta & pota cit urinam. Vbi autem edulcati fuerint, triti cum aceto & poti stomachi fastidium leniunt, & cibi auiditatem excitant.

EX GALENO.

Lupinus editur coctus, multis antè diebus maceratione in aqua amaritudinem deponens, fitq; tunc nutrimentum crassi succi. Cæterum ut medicamen ita præparatus ex genere est emplasticorum. Qui uero natiuam amaritudinem habet, huic extergendi & digerendi uis inest. Lumbricos occîdit illitus, & cum melle linctus, aut cum posca potus. Quin & decoctum eius lumbricos eijcere potest. Foris identidem perfusum, alphos, achoras, exanthemata, scabies, gangrænas, ulceraq; maligna iuuat, partim extergendo, partim digerendo, citraq; mordacitatem siccando. Expurgat iecur & lienem cum Ruta & Pipere suauitatis gratia assumptum. Elicit menses ac fœtum cum myrrha & melle adpositum. Porrò Lupinorum etiam farina sine mordacitate digerit: nec enim liuida tantum, sed & strumas & tubercula curat: atqui tunc in aceto, aut oxymelite, aut posca hanc decoquere oportet,

pro



LVPINVS